



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Joannis Pierii Valeriani Bellunensis Hieroglyphica, Sive De
Sacris Ægyptiorum Aliarumque Gentium Literis,
Commentariorum Libri LVIII**

Valeriano, Pierio

[Lipsiae] ; Francofurti Ad Moenum, 1678

Vespa.

urn:nbn:de:hbz:466:1-14259

DE VESPA. CAP. XXVII.

De Vespa
Plin. l. 12.
cap. 21.

Apu'd Horum legas Vespa ex corrupto Crocodili sanguine, vel ex ejus cadavere procreari. Nostri ex Equino eam cadavere nasci volunt.

PERNICIES SUMMOTA. CAP. XXIX.

Ut cumque, Vespa cum apud Aegyptios corruptum ostenderet Crocodilum, eadem ratione perniciem summotam extinctamque significabat: quando, uti suo commentario dictum est, ex Diodoro, Crocodilus & mala & ærumnosa mortalibus illata demonstrat.

PUGNACITAS. CAP. XXX.

Cæterum Philosophi vetustiores pugnacitatem per hanc innuere videbantur. Nam & Equus, & ex cujus corrupto sanguine Vespa oritur, belli est indicium, ut suo commentario probatum. Et quod ad hanc facit pugnacitatem, Demosthenes, ut apud Stobæum *ἀπὸ διογενὸς ματρεῶν*, Antisthenem ait aliquando ad Diogene correptum, ut qui exili admodum voce homines castigare, respondisse: *Vespa itidem sonum haud magnum alis excitare, aculeum tamen acerrimum habere.* Quare apud Æneam philosophum Platonicum, Exitheus dum Theophrasti dicta diluit, si quæ ille opinabatur vera essent, *Vespa*, inquit, *item Hector colligabitur*, ambo enim caput varia galea redimiti sunt, ac perinde pugnacissimi. De galea ad id alludit quod Homerus Hectora



Agitatorum
galea. Illi-
ad. l. 3, vers.
314.

Malva ve-
spis adver-
sa

Sermo ma-
ximum est
furoris an-
tidotum &
remedium.

subinde *κορυθαίολον* vocat. Et mulierum chorus apud Aristophanem, Lyfistrate, quieturum se dicit, nisi accesserit aliquis, qui tanquam Vesparum examen fodicare se, vel irritare aggrediat. Atque hæc omnia nostra sunt. Sapientia enim 12. habemus: *Misisti antecessores exercitus sui Vespa, ut illos paulatim exterminarent.* Importunum forte cuiquam videatur, si *κὴ παρρησιον* remedium subiecero contra hanc Vesparum pugnacitatem, sed enim quod utile vel commodum plerisque futurum est, nunquam ego judicaverim importunum. Bellicoso mollis opponitur. Malva oleris genus, à molle-
tie, ut plerique tradunt, dicta, Vespa adversatur, præcipue sylvestris: cujus succo, ut Demagron & Pexamus scribunt, qui sese illeverit, à Vespa non impetitur neque pungitur. Quinetiam si quis punctus jam fuerit, ejus herba succo, aut contusis & impostis foliis sanatur, apertissimo nobis documento, ut cum res nobis cum furioso fuerit, lenitatem amplectamur, quoque acerbioribus verbis excanduerit, nos mitioribus responsis ignem extinguere procuremus, illius dicti memores, *μέγιστον ὄσιν ὀργῆς Φάσμαον λδγ*.

IMPERFECTI MORES CIVILES. CAP. XXXI.

Plato, Phædone, eos qui popularem civilemque virtutem, quam temperantiam aut justitiam nuncupant, exercuissent, non eam quidem ex doctrina Philosophorum, atque ex eorum sententia descriptam, sed ex consuetudine quadam exercitationesque ad aliorum exemplum acquisitam, perhibitum in Vesparum, Apumve, aut Formicarum genus migrare contendit: his enim omnino aliquid natura dedit, quod civilis gubernationis similitudinem quandam præ se ferat: nam & ipsæ collegia celeberrant, tribusque & centurias distinguunt, habitationesque sibi construunt magnificentissimas in quibus cellæ favorum in morem sexangulæ omnes. Sed Apum texta metam quædam propemodum formas imitantur, Vesparum castra potius sunt, & Mausolea, orbiculari ambitu, tabulatis super altera alteris aggestis. Hujusmodi fabrica mirifice constructa, cum Belluni essem, ad me allata est ex eorum quædam sylvæ solitudine. Septem sunt concamerationum orbis, alter super alterum duorum digitorum intervallo impositi, pilarum columellarumque interstitio distincti, ut unicuique commodum

Vesparum
habitationes
mirifice
constructa